

riæ, non prodest nisi iis, qui ei fide et charitate conjunguntur; ergo nec aliter prodest hoc Sacrificium, quod est memoriale Dominicæ passionis et applicatio fructuum ejusdem.

2.<sup>o</sup> Qui peccato mortali innodatur reus est divinae maledictionis ac Deo odibilis et inimicus. Sed condonatio debiti est actus benedictionis et amicitiae: ergo peccatori non potest prodesse Sacrificium ex opere operato.

277. Dices: remisso peccato, remitti etiam potest poena eidem debita atqui facile accidere potest remissa fuisse alia peccata eis qui nunc in peccato versantur; ergo pro peccatis illis remissis poterit fructum percipere Sacrificii peccator.

Resp. Dist. maj. Poterit remitti poena, potentia remota, seu nisi fuerit obex; conc. Existente obice: nego maj. Jam vero actualis inimicitia inter Deum et peccatorum obstat, ne acceptabile sit Sacrificium ad poenarum remissionem.

#### THESSA XXXIII.

Debet esse viator et fructu Sacrificii indigere, ut ille pro quo offertur assequatur effectum ex opere operato.

278. I.<sup>a</sup> pars prob. Beatis et damnatis non potest prodesse Sacrificium ex opere operato. Sed reliqui sunt viatores; ergo. Maj. patet. Nam beatos nullius poenae posse debitores esse, perspicuum est. Ad damnatos autem nihil ex Christi redēptione pervenire, supponimus ex dicendis ubi de inferno sermo erit. Minor etiam perspicua est: animae enim, quae in loco poenarum purgantur, ad terminum nondum pervererunt donec plene satisfaciant: ergo quoad hunc effectum et ratione beatitudinis nondum assequantur, in via versari dicendae sunt.

II.<sup>a</sup> pars evidens est: oportet enim ut ex culpis remissis aliqua debeatur satisfactio; aliquin poena quae non debetur remitti non potest.

#### SCHOLION.

279. Cum facile accidere possit, ut is pro quo offertur Sacrificium, fructum ipsius percipere nequeat propter alicuius requisitæ conditionis defectum; optimum est consilium, aliam semper conditionatam concipere intentionem, vi cuius Sacrificium certo suum consequatur effectum: aliter enim in solo Christo manet satisfactio, seu, ut dici solet, in thesauro Ecclesiæ.

## DISQUISITIO V.

### De Poenitentiae Sacramento.

#### PROOEMIUM.

Dominus Noster Jesus Christus, ut mundum salvaret missus, *Bentes*, ait (1), *discite quid est. misericordiam volo et non sacrificium* (2); *non enim veni vocare justos, sed peccatores*; nempe ad *poenitentiam*, ut legitur apud *Lucam* (3), et in *texto graeco S. Matthei*. Quae quidem commentans *Ambrosius*, pulchre arguit (4): «Ergo usurpatores justitiae non vocantur ad gratiam; nam si gratia ex Poenitentia, utique qui fastidit Poenitentiam abdicat gratiam.

Nemo ergo, justitiam usurpans, existimet se non egere Poenitentia; nemo praesumat, se posse sine Poenitentia veniam assequi peccati; nullus, etsi magnus peccator, gratiam Christi D. desperet, si ei ad Poenitentiam vocanti aures praeberuit.

#### DIVISIO GENERALIS.

##### CAPUT I. De Poenitentiae existentia, necessitate et efficacia.

- II. De natura Poenitentiae uniter sumpta.
- III. De natura Poenitentiae quatenus est contritio et propositum ultra non peccandi.
- IV. De natura Poenitentiae quatenus est confessio.
- V. De natura Poenitentiae quatenus est absolutio.
- VI. De satisfactione Poenitentiam complente.

(1) *Matt.* IX, 13.—(2) *O se as*, VI, 6.—(3) *Luc.* V, 32.—(4) In *Luc.* V, n. 22.